

*Instrumentum transumpti sententiae
sulla controversia tra Giovanni
Quattrocchi, arciprete della chiesa di
San Michele, e Nicola Zappa, arciprete
della chiesa della S. Trinità di Potenza,*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Instrumentum transumpti sententiae
sulla controversia tra Giovanni
Quattrocchi, arciprete della chiesa di
San Michele, e Nicola Zappa, arciprete
della chiesa della S. Trinità di Potenza,*

1449 agosto 27

† In nomine domini amen. Triduo Pasce, amen.
Anno a nativitate ipsius millesimo quadrigentesimo
quadragesimo nono, regnante serenissimo et
illustrissimo domino nostro domino Alfonso, Dey gratia
Aragonum, Sicilie citra et ultra Farum rege, Valencie,
Hungarie, Ierusalem, Mayoricarum, Sardinie et Corsice,
comite Barchinone, duce Athenarum et Neopatrie ac
etiam comite Russilionis et Ceritanie, regnorum vero
eius huius regni citra Farum anno quintodecimo,
feliciter, amen, die vicesimo septimo mensis augusti
presentis anni duodecime indictionis, apud civitatem
Potencie.

Nos Petrus Paulus de Musculo de eadem civitate
ipsiusque civitatis annalis iudex pro dicto presenti anno
dicte duodecime indictionis, Rogerius de Lauro de
terra Athane, incola seu habitator civitatis nominate,
puplicus ubilibet per totum regnum Sicilie reginali
auctoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter
vocati et rogati presenti scripto puplico instrumento
fatemur, notumfacimus et testamur, quod eodem
predicto die venientes coram nobis predictis iudice,
notario et testibus infrascriptis venerabiles viri dopnus
Antonellus de Barulo, archidiaconus Potentinus, et
dopnus Balthassar Mordente, archipresbiter ecclesie
Sancti Girardi, vicarii Potentini in spiritualibus et
temporalibus arbitri et amabiles compositores et
arbitratores assumti comuniter et concorditer per
venerabiles viros dopnum Iohannem de Quatuor
Oculis archipresbiterum et procuratorem ipsius ecclesie
Sancti Michaelis, dopnum Angelum Nicolai Grossi
et dopnum Iacobum de Ferreria, priostros dicte
ecclesie Sancti Michaelis, vice et nomine ecclesie

prelibate Sancti Michaelis de Potencia, cum consensu et voluntate omnium clericorum ecclesie nominate ipsorum nemine discrepante, etiam et per venerabiles viros dopnum Nicolaum Zappam, archipresbiterum Sancte Trinitatis de Potencia procuratorem ipsius ecclesie, dopnum Richardum Molinarium et dopnum Clericum Zappam, priostos dicte ecclesie Sancte Trinitatis etiam cum consensu omnium clericorum dicte ecclesie Sancte Trinitatis ipsorum nemine discrepante, et sedentes pro tribunali in molumentoa consistente ante ecclesiam Sancte Trinitatis marmoreo in plano ipsius ecclesie Sancte Trinitatis, quandam sentenciam, pronunciacionem, laudum, deffinicionem et arbitramentum in inscriptis coram nobis legerunt, recitaverunt et protulerunt in serie subsequenti quandam sentenciam ex litigio et controversia mota inter prefatos archipresbiterum Sancte Trinitatis, dopnum Richardum et dopnum Clericum, vice et nomine ipsius ecclesie Sancte Trinitatis, actores ex una parte, et conventos ex altera et nominatos dopnum Iohannem archipresbiterum Sancti Michaelis, dopnum Angelum et dopnum Iacobum, vice et nomine ipsius ecclesie Sancti Michaelis, etiam conventos et actores, de certis terris ipsarum pre nominatarum ecclesiarum Sancte Trinitatis et Sancti Michaelis, conscistentibus in tenimento civitatis predicte Potencie in locis qui vulgariter dicuntur Sancto Iennaro, li Mundanelli et Malamogliere. Et terre quas petebant dicti archipresbiter, dopnus Angelus et dopnus Iacobus, vice et nomine Sancti Michaelis, dictis archipresbitero, dopno Richardo et dopno Clerico, nomine ecclesie Sancte Trinitatis, asseruerunt fore hiis finibus circumdatas, videlicet petium unum terre quod dicitur lo Perato de Sancto Michele, confinatum ab

omnibus lateribus iuxta terras ecclesie prelibate Sancte Trinitatis et iuxta vallonem Malemulieris ab inferiori parte. Item terram unam que dicitur Lischa de la Tora, confinatam iuxta vallonem de Pissio, iuxta flumen Thore, iuxta vallonem Lupi et a superiori parte iuxta viam qua ytur Titum. Item terram unam aliam in vallone de Sorbo, capacitatis thumulorum duorum in semine, confinatam iuxta terras Sancte Trinitatis et alios fines. Item terram unam aliam scitam et positam in loco ubi dicitur lo Vallone de Sorbo et lo Vallone de lo Lupo, capacitatis thumulorum viginti in semine, confinatam iuxta terras Sancte Trinitatis undique. Item terram unam aliam in loco ubi dicitur li Gallinari, confinatam ex omni latere iuxta terras dicte ecclesie Sancte Trinitatis, capacitatis in semine thumulorum duorum. Et terre quas petebant archipresbiter, dopnus Richardus et dopnus Clericus, vice et nomine dicte ecclesie Sancte Trinitatis, ecclesie Sancti Michaelis vel prefatis dopno Iohanni, dopno Angelo et dopno Iacobo, loco ipsius ecclesie, dixerunt habere hos fines, videlicet terram unam scitam et positam in tenimento affato civitatis Potencie in loco ubi dicitur ut supra li Mundanelli, confinatam ab inferiori parte iuxta viam puplicam qua ytur ad Ribizonum, a duabus lateribus iuxta limitem ecclesie Sancte Trinitatis, ab alio latere ultra vallonem iuxta terras Sancti Michaelis et alios fines. Et licet inventarium puplicum Sancti Michaelis ferat dictam terram fuisse limitatam iuxta terras condam iudicis Meuli, actamen de presenti dixerunt non habere alios fines nisi superius nominatos. Volentes tamen supradicti archipresbiter, dopnus Richardus et dopnus Clericus, vice ipsius ecclesie Sancte Trinitatis, ex eo quia fines in dicto inventario sunt mutati, quod dictum

inventarium Sancti Michaelis publicum sit porro in suo robore super fines dicte terre. Item terram aliam in contrata Sancti Ianuarii, confinatum iuxta vallonem qui dicitur de lo Calognio ab una parte sicut vadit Serra Sancti Ianuarii, mediante limite comuni cum ecclesia Sancte Trinitatis, iuxta terram coste ecclesie Sancte Trinitatis, limite mediante, ab inferiori parte etiam iuxta terras dicte ecclesie Sancte Trinitatis et alios fines, et non solum voluerunt supradicti archipresbiter, dopnus Richardus et dopnus Clericus dictum inventarium esse valiturum in supradicta terra, sed etiam in aliis terris, de quibus est questio si fuissent fines mutati sub serie subsequenti: «In nomine domini nostri Iesu Cristi, amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, regnante, ut supra, serenissimo et illustrissimo domino nostro domino Alfonso, Dey gratia Aragonum, Sicilie citra et ultra Farum rege, Valencie, Hungarie, Ierusalem, Maoricarum, Sardinie et Corsice, comite Barchinone, duce Acthenarum et Neopatrie ac etiam comite Russilionis et Ceritanie, regnorum vero eius anno huius regni citra Farum anno quintodecimo, feliciter, amen, die supradicto vicesimoseptimo mensis augusti, duodecime indictionis, predicte Potencie, ante oram vespertinam in stacione predicta, videlicet nos predicti arbitri et amabiles compositores et arbitratores assumpti comuniter et concorditer per supradictas partes, et quia dicte partes una videlicet alteri et altera alteri, nomine dictarum ecclesiarum Sancte Trinitatis et Sancti Michaelis de Potencia, petebant supradictas terras scitas et positas in dicto tenimento civitatis Potencie supradictis eorum finibus designatis, prout supra particulariter annotatur, et super hiis agendis, videndis, decidendis et determinandis, predicte partes promiserunt per

instrumentum publicum confectum et celebratum intus
dictam civitatem Potencie per me affatum Rogerium
puplicum, ut supra, notarium roboratum, ut decet, cum
penis et obligationibus unciarum viginti quinque et
iuramento et sollepnitatibus quibuscumque. Tandem
de casibus, litibus et questionibus predictis et aliis
quibuscumque que una pars haberet contra alteram
nomine ipsarum ecclesiarum que possent pretendi
hinc inde et dependentibus et congnessis ex eis
voluntarie et concorditer in nos compromiserunt alte
et basse tamquam in eorum arbitros, arbitratores
et amabiles compositores comuniter electos, dantes
et concedentes nobis liberam licentiam et plenariam
potestatem et auctoritatem videndi, cognoscendi,
decidendi, determinandi, laudandi, sentiendi et
amicabiliter componendi causas et questiones predictas
ac dependentiis, emergentiis et congnessis ex eis et
partes ipsas ad concordiam et unam alteri condemnandi
et preferendi, amminuendi de iuribus unius et dictis
partibus et alteri dandi, actribuendi et conferendi
sive per modum concordie sive per modum sentencie
terminacionis et amabilis compositionis summarie et de
plano et absque contestatione litis et oblatione petitionis
vel libelli et absque scripturarum sollepnitatibus
ac nullo faciendo processu visis vel non visis
iuribus, probactionibus et cautelis partium predictarum
examinatis vel non examinatis, non auditis partibus
presentibus vel assentibus, vocatis vel non vocatis,
requisitis vel non requisitis, et una presente et altera
per contumaciam sive non absente, nullo pretermisso
non obstante omni iudiciario ordine quomodocumque,
qualitercumque, quandocumque, quotienscumque vel
ubicumque videbitur nobis, prout hec et alia in dicto

instrumento compromissi exinde facto per me affatum notarium Rogerium cum obligationibus, ut supra, stipulationibus, renunciacionibus, iuramentis, clausulis et sollempnitatibus oportunis plenius continebatur, cumcquea ad maiorem cautelam dicte cause, dicte partes per nos fuerunt requisite ut deberent venire audituri sententiam, quibus comparentibus nostram sententiam presentem proferentes, laudantes diffinitioni, arbitrationi et declarationi, quod facto in nos compromisso predicto et assumpto per nos honore compromissi predicti, volentes partibus ipsis causas eorum predictas finire et exitum dare compromisso predicto. Et receptis per nos ac visis et diligenter inspectis et examinatis informationibus, iuribus et cautelis ipsis per ea que vidimus, congnovimus et animum nostrum moverunt et movent, Cristi nomine invocato sine quo nullum rite fundatur exordium, sententiamus, pronunciamus, laudamus ac diffinimus per modum arbitrationis et laudi dictas ecclesias stare in possessione dictarum terrarum, prout stabant, videlicet terre, quas petebant presbiteri supradicti Sancte Trinitatis dictis presbiteris Sancti Michaelis, vice et nomine ipsius ecclesie Sancte Trinitatis, sint et esse debeant ecclesie Sancti Michaelis, cum eorum finibus et proprietatibus superius annotatis, et e converso terre, quas petebant supradicti presbiteri Sancti Michaelis, procuratoribus ecclesie Sancte Trinitatis, vice et nomine ecclesie Sancti Michaelis, sint et esse debeant ecclesie Sancte Trinitatis, cum finibus et proprietatibus superius predistintis. Mandantes dictis partibus presentibus, auctoritate compromissi predicti, predictam sententiam, pronunciationem, laudum, deffinitionem et arbitrationem ac partes ipse et quilibet ipsarum

adimpleant et observent ac in nulla contradiant, dicant, opponant vel veniant quoquomodo de iure vel de facto, in iudicio vel extra, per se ipsas vel alteram ipsarum aud alios ipsorum vel alterius earum nomine, publice vel occulte, sub pena unciarum viginti quinque et periurii in dicto instrumento compromissi contenta et apposita hanc nostram sententiam, pronounciationem, laudum, diffinitionem et arbitrationem proferentes omni via, iure et modo quibus melius et actius de iure possumus et debemus, dictis partibus presentibus predicta sententia lata, lecta et recitata est et deffinictio sive arbitramentum per nos prefatos arbitros et arbitratores, ut supra, coram nobis iudice, notario et testibus, anno, mense, die, loco et indictione predictis». Et nichilominus pronunciamus, dicimus et mandamus dictas partes desistere ab iniquitate et molestia quam ad invicem faciebant pro quomodoa ecclesiarum predictarum de dictis terris eisque imponentes perpetuum scilentiuma, que quidem sententia et deffinictio lecta, lata et recitata coram nobis, ut supra, dicte partes coram nobis nos prefatos iudicem et notarium et testes ex regia parte requisiverunt actente nostrum super hoc officium implorando ut de predictis ad cautelam dictarum ecclesiarum perpetuam conficere deberemus publicum instrumentum, quorum requisitioni et precibus tamquam iustis devote parentes, et quia iustis petentibus non est denegandus assensus et presertim in hiis que honestatem sapiunt et requirunt, ad certitudinem et cautelam dictarum ecclesiarum, factum est exinde hoc presens publicum instrumentum volentesque partes ipse quod de predictis conficiantur duo publica instrumenta consimilia idem continencia, que facta sunt per me predictum notarium signo meo

solito signata, subscriptione mei qui supra iudicis et subscriptorum testium roborata.

1

2

Quod presens instrumentum scripsi ego predictus Rogerius de Lauro puplicus ut supra notarius, qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo solito signo signavi. (SN) Rogerius † Ego Petrus Paulus de Musculo qui supra iudex interfui. † Ego dompnus Antonellus de Barulo archidiaconus ac vicarius Potentinus predicta fateor et accecto. † Ego dompnus Baldassar Mordente archipresbiter Potentinus ac vicarius predicta fateor et accecto. † Ego Lanczia de Palma de Neapoli civis Potencie testis interfui et me subscripsi. † Ego Troylus Mordente de Potencia testis sum. † Ego dompnus Stephanus de Pergula canonicus Potentinus testis sum. † Ego Iohannes Nicolaus de Inganulo testis sum. † Ego diaconus Gaspar de Vineola testis sum. † Signum crucis proprie manus Iacobi de Bonopari testis ydiote qui interfuit scribere nescientis. † Signum crucis

Così A.

Il vallone del Lupo compare in un atto di vendita del 1313 rogato dal notaio Nicola Strambo di Potenza, mediante il quale Biagio de Elzia vende una terra sita in quella contrada a Filippo Garritello (Archivio della Badia di Cava de' Tirreni, Arca LXV, 36; cfr. *I regesti dei documenti della Certosa di Padula (1070-1400)*, p. 70, n. 153; *Repertorio delle pergamene dell'Archivio Cavense. Periodo angioino: 1266-1442, I, Regesti*, p. 153 LXV, 36; CARLONE, *Le pergamene dei monasteri soppressi nell'Archivio Cavense*, p. 47, n. 148).

*Instrumentum transumpti sententiae sulla
controversia tra Giovanni Quattrocchi, arciprete
della chiesa di San Michele, e Nicola Zappa,
arciprete della chiesa di Regalbuto.*

11

propre manus Girardi de Regali testis ydrotis qui interfuit
scribere nescientis.